Dissertatio
musculorum in extremitatibus Bradypodis tridactyli obviorum descriptionem anatomicam exhibens,

quam

gratiosi medicorum ordinis consensu

die XVI. Martii cIↃIↃCCCXV

publice defendet

Henr. Guil. Susemihl

Rugia Pomeranus.

Berolini cIↃIↃCCCXV.

Typis Joann. Frid. Ungeri.

§. 1.

Musculorum contractionem insequuntur partes quibus infixi sunt, indeque animalis motus constituitur. Cujus motus, sicut musculorum quibus constituitur, duplex est ratio. Altera ad ipsius corporis necessitates internas cietur, ceterum quiescentis; ut sunt, qui ad varias oeconomiae functiones persequendas impenduntur motus, et vel ad masticationem, deglutitionem, concoctionem, excretiones pertinent, vel ad respirationem aut circulationem, vel ad trunci corporis mutationes, cetera. Altera ea est, quae longe diverso fine, non in functione quadam, verum in solo motu obtinet. Et haec est quidem musculorum classis apud quadrupedes omnes in quatuor pedibus disposita, quos *abstracta motus organa* vocare ausim.

§. 2.

Sicut quadrupedum pedes, a situ in extremo corpore, extremitates vocati, in duo paria dividi solent, unum posteriorum extremitatum, alterum anteriorum (quibus in homine superiorum et inferiorum nomina respondent) ita in functione quoque earum partium divisio quaedam in oculos cadit, quae, quamvis revera in homine tantum, et quidem supra infantiles annos adulto, inveniatur, in ceteris tamen animalibus quoad ideam quoque statui posse videtur. Est enim effectus in his organis ea differentia, ut vel ad corporis molem movendam pertineat, vel motum suum, in sensorio intus conceptum, in externam naturam propaget. Hujus quidem divisionis in homine tam stricta est et arcta distinctio, ut quod extremitatum paria, idem quoque functiones discernat. Pedibus homo, vel pare extremitatum posteriore (vel inferiore), erectus ingreditur, postquam infantilem statum, quadrupedo propiorem reliquit. Pare antiore, vel manuum artificiosa fabrica ita in externa agit, ut earum ope, divinique luminis, rationis auspicio, terrarum dominus rite habeatur. Magis quidem apud bruta animalia horum parium confunditur usus, quippe cum nullum inveniatur, quod non manibus ali

quando saltem ad ingrediendum utatur, ac tum certe pronum spectet, ut animalia cetera terram. Quoties tamen extremitatibus quadrupedes quoque, instar manuum, utantur, quis est qui nesciat? Atque ideo hanc distinctionem et in bestiis redargui non posse, contendo.

§. 3.

Est profecto in brutorum serie illa, qua sensim sensimque ab inferiore in perfectiorem gradum, denique ad humanam fere formam, quin ad hominem ipsum adscendunt, horum quoque, quae abstracti motus organa vocare placuit, modus quidam ad perfectionem progressivus. In cetaceis quidem, in ultimo mammalium loco positis, posteriorum extremitatum substrata dura, cortilaginibus tantum ac tendinibus conflata, atque ita caudam constituentia, sceleto ne asservari quidem possunt*), quamquam anteriorum, praeter claviculam, omnes perfecti brachii partes osseas referant. Et sic in diversissimis formis lusit natura, donec in

*) Bene jam ante annum 1680 ab Edwardo Tyson in Delphino Phocaena describitur, quem quidem adhuc pro pisce habet. Vide: Phocaena, or the anatomy of a Porpefs, with a preliminary discourse concerning anatomy and a natural history of animalis, Pag. 17.

manu humana sollertiae suae, ut ita dicam absoluto opere laetaretur. Et huic certe perfectionis gradui parallela est in animalibus quaedam motuum dignitas, quos suis extremitatibus efficiant. Mammalium sequiora pedibus mere pro sustentaculis utuntur, quibusque nihil debent, quam loco se movendi facultatem, primam illam animalium, prae vegetabilibus, praerogativam. Perfectiora contra sunt, quae jam liberum motum in naturam quasi secernunt nec omnem in se tantum obsorbent, donec tandem homo perfectionum omnium quasi focus existat, manibusque suis liberrimi motus instar praebeat.

§. 4.

Nullibi felicius cessit humani ingenii de rebus physiologicis disquisitio, quam cum motus caussam quaereret. Atque suo sibi jure illud quidem vindicare potest, se motum ad organorum, quibus efficitur, structuram, penitus retulisse. Est ita comparata indoles humana, ut in iis, quae ad calculum vocari et angulo circulove metiri possint, secunde procedat, quod vero ad sensum ipsamque vitam pertinet, ejus sibi rationem omnino reddere nequeat. Quantum in rebus physicis, in sono ac luce

ingenia Newtoniana attigerunt, dum in minimi quidem graminis ratione reddenda haereant omnes? Perinde de motu nostro musculari agitur. Posito principio movente, nihil jam superest, quod non ad matheseos argutiam adducere possimus, nec omnino adductum sit. Nam quanta sunt in eam disciplinam doctissimorum virorum merita, quorum pro omnibus Borelli nomen, ac praesertim Francogallorum recentiores, Barthez, Salvage, ne alios, afferam. Quare motus organa, musculi, sola sunt quae ad suam functionem ita se habeant, ut dato altero alterum colligi possit.

§. 5.

Haec aliaque de extremitatibus mammalium mecum reputanti nonnunquam, operae pretium videbatur, meditatiunculas ad comparanda extremitatum humanarum paria applicasse. Etenim non absque voluptate nec fructu esse posse videbatur, quantum in illis simile ex reliquae animalium catenae analogia, quantum dissimile pro varia illa, ad quam destinantur, ratione, perscrutari. Cujus quidem dilineatam rationem apud Vicq d'Azyr invenimus, nec tamen ita comparatam, quin multa in ea desideres. Ita si tempus foret, dissertationem inaugu-

ralem, nec injucundam disquisitu, mihi me comparaturum sperabam. Sed multa sunt in tam brevi studiorum curriculo quibus ad alia semper distrahamur, ac rebus quam maxime improvisis cum tempus ad doctoris gradum promotionis, citius etiam ac animo conjeceram, urgeat, a largiore themate absistere cogebar. Ac in ea tum angustia mihi celeberrimus Rudolphius quasi divinitus adstitit, quem, utrum ob doctrinam suam et miram in scientiis naturalibus praesertim sagacitatem, an ob singularem in me gratiam et insignia de me merita, majoribus laudibus efferam, nescio. Tradita mihi ab eo rarioris cujusdam quadrupedis species, Bradypus tridactylus, cujus hic extremitatum musculos dissectos, qua potero diligentia describam.

Musculorum in extremitatibus Bradypodis tridactyli obviorum descriptio anatomica.

I. Extremitates anteriores.

§. 6.

Musculi scapulae.

Scapulam in homine sex musculi agunt. Hic quatuor enumerabuntur.

1. *Musculus cucullaris.* Oritur a decem vertebrarum processibus spinosis, septem dorsalium, tribus colli. Inseritur in spinae scapulae labio superiore anteriore et acromio.

2. *Musculus rhomboideus.* Oritur a sex superiorum vertebrarum dorsi processibus spinosis. Fibris haud multum oblique descendentibus basi scapulae inseritur.

3. *Musculus serratus anticus major.* Oritur carneus a tota basi scapulae. Inde in duas regiones distincte abit. Portione altera ascendit ad quatuor vertebrarum dorsi superiorum,

infimnique noni*) colli, processus spinosos ac transversos. Altera majore portione descendit et antrorsum vertitur, ita ut costis a prima ad octavam, singulis dentationibus inseratur. Portio ascendens levatoris scapulae, — alioquin omnino deesset — partes suscepisse videtur.

4. *Musculus serratus anticus minor*, (sive *pectoralis minimus* appellandus) a margine superiore scapulae ad manubrium sterni decurrit.

Plane deerat *omohyoideus musculus*, quem magnae molis in Simiae cephi specimine, quod a celeberrimo Rudolphio dissecandum mihi permissum fuerat, inveni. In simiis quidem ad raucum eorum vocis ululatum edendum haud parvi momenti esse videtur. Eum a celeberrimo Lordatio in Simia Callitriche non esse inventum, eo magis miror, cum eum Cuvierus omnibus simiis tribuat. Mihi quidem ob ipsam ejus molem, alias tenuissimus musculus, praetervisus esse videtur. Vid. Observations sur

---

*) Solus Bradypus tridactylus novem vertebris colli instructus est, cum cetera mammalia, ad unum omnia, numero septenario gaudeant. Vide Cuvier Vorlesungen über vergleichende Anatomie. Uebersetzt von Meckel. Bd. 1. pag. 133. — Blumenbach vergleichende Anatomie. pag. 12. et postea pag. 58.

quelques points de l'anatomie du singe vert par J. Lordat. Paris 1804. pag. 53.

§. 7.

Musculi humeri.

Ossi humeri humano movendo novem musculi dati sunt. Hic undecim memoravi, accedentibus panniculo carnoso et musculo pectorali minore proprio.

5. *Musculus subcutaneus, sive paniculus carnosus**). Oritur a capitulo ossis humeri infra pectoralem medium, ac sub cute proximus super thoracis abdominisque musculos decurrit musculosque superiori anteriori ossis femoris parti incumbentes integens, in crure cum musculo tensore fasciae latae confusus disparet. Corrugat cutem, dorsique pilos erigit.

6. *Musculus pectoralis maximus.* In medio sterno cum ejusdem in altero latere ortu

---

*) Latius per omne abdomen et thoracem expansus ac mihi invenire contigit, in cane existere solet. Vide: Descriptio comparata musculorum hominis et quadrupedis, auctore Jacobo Douglaſs. Lugd. 1729. Pag. 110. — Miotomie humaine et canine par Garengeot. Paris. 1724. pag. 216 seqq. — Miri fere vigoris in iis animalibus, qui sese conglomerare solent interdum. Himly über das Zusammenkugeln des Igels. Braunschweig 1801. Deest, ut homini, ita suibus quoque,

convenit, ultimis vero fasciculis in rectum abdominis abit. Inseritur in longam lineae asperae exterioris in humero partem.

7. *Musculus pectoralis medius*, (proprius, neque illi in homine analogus) sublato praecedente conspicuus, a sex costarum superiorum cartilaginibus ortus, ad humeri caput vertitur.

Tertium pectoralem vide supra, *minimum* sive *serratum anticum minorem*. Modo quos enumeravi duos, utrumque Cuvierus ad pectoralem majorem refert in aliis mammalibus (1 Bd. pag. 244 in simiis.), quod quidem, nisi origine et insertione toto coelo differrent, facile paterer. Duo praeterea diversi ab his musculi in thorace conspiciuntur, quorum alter pro musculi recti abdominis processu habendus, a prima inde ad nonam vel decimam costam singulis dentationibus oritur, et in carnivoris etiam omnibus occurrit: alter a costa prima ac secunda ortus, recta decurrens in octava finitur, quem apud Cuvierum notatum non invenio.

8. *Musculus deltoides,* tanquam cucullaris continuatio oritur a spinae scapulae labio inferiore ac posteriore. Insertio in medio humeri.

9. *Musculus supraspinatus.* Nihil ei privi.

10. *Musculus infraspinatus.* Descriptione supersedere possumus.

11. *Musculus teres minor.* Quasi subscapularis fasciculis externis componitur dein vero paullo distinctior humeri collo se insinuat.

12. *Musculus teres major.* Oritur valde crassus ab angulo inferiore scapulae; infra praecedentis insertionem ad humerum transit.

13. *Musculus latissimus dorsi.* Oritur semicirculari ambitu a decima ad decimam tertiam costam, inde tergum versus aliis ab iisdem costis denticulationibus et a duodecima ad octavam vertebram dorsi. Inseritur tendine membranaceo cum terete majore in humero. Ubi is musculus ad teretem pervenit, abit in elongationem tenuem, carneam, quae supra anconaeum longum descendens, finit tendinea in olecrano *).

14. *Musculus coracobrachialis.* Humano plane similis.

15. *Musculus subscapularis.* Item.

§. 8.

Musculi cubiti.

Cubitus, sicut ejus in homine musculos

---

*) Eadem elongatio in multis offenditur. In cane Douglas. l. c. §. 160. Ipsi mihi in simia cepho contigit, valde conspicua. Ab aliis vero autoribus pro musculi extensoris brachii capite quarto habetur. Cuvier. P. I, pag. 264.

computare solemus, quatuor musculos accepit. Totidem hic obvii.

16. *Musculus brachialis internus.* Oritur ab interna humeri facie infra deltoidis insertionem. Ad insertionem suam in ulnae tuberculum abiturus alium in se recipit, a cervice scapulae ortum musculum, et inde tendine longissimo et valde gracili per canalem cartilagineum super capitulum humeri decurrentem, ideoque capiti bicipitis longo simillimum, nisi quod ulna ejus insertio est.

17. *Musculus biceps.* Qua coracobrachialis insertio, oritur simplex in tuberositate radii finiturus. (Caput breve bicipitis.)

18. *Musculus triceps.* Capite longo a costa inferiore scapulae oritur, aliis minutis capitibus in decursu per humerum augetur. Insertio olecranon.

19. *Musculus anconaeus parvus.* Nihil ab eo hominis diversus.

§. 9.

Musculi carpi et radii.

Numerus undecim in homine. In Bradypode novem. Abest nempe extensorum carpi radialium alter et supinator brevis.

20. *Musculus palmaris longus.* Oritur *a*

condylo interno humeri. Inseritur in tuberositatem eam metacarpi, quae digiti pollicis rudimento conficitur et in aponeurosis palmaris quodam analogo.

21. *Musculus palmaris brevis* ab eodem tubere oblique per palmam descendit et in ligamento vaginali tendinis flexoris tertii finitur.

22. *Musculus flexor carpi radialis.* Tenuis a condylo interno ortus, gracili tendine in ossium carpiorum primi ordinis osse primo terminatur.

23. *Musculus flexor carpi ulnaris.* Origo descriptione non eget. Insertio in digiti quinti vel minimi rudimento.

24. *Musculus extensor carpi radialis.* Tendine bicorni utitur. Alter in phalange ossium metacarpiorum digiti medii prima, alter in eadem digiti tertii inseritur.

25. *Musculus extensor carpi ulnaris.* Ita circum carpum deorsum se flectit, ut in palma inseratur rudimento illi digiti quinti.

26. *Musculus pronator teres* a condylo humeri interno cum flexore carpi radiali ortus, extremo radio prope carpum inseritur.

27. *Musculus pronator quadratus.* Fortior saltem pro ratione, atque in homine.

28. *Musculus supinator longus.* In ori-

gine sua plus dimidio inferioris humeri occupat, ac tam anguste supra plicam cubiti intenditur ut ejus anguli extensionem non ultra sexaginta ad summum circuli gradus patiatur. Inseritur in radii lineam externam a medio usque ad finem quo carpum recipit.

Musculus supinator brevis nullus.

§. 10.

Musculi digitorum.

Musculorum digitos, vel plures simul, vel singulos moventium, in homine viginti septem offendimus. Magna hic differentia elucebit, si undecim modo enumeraverimus.

29. *Musculus flexor digitorum communis* ac unicus. Duobus ventribus muscularibus in externo antibrachio, alio a radii, alio ab ulnae osse oritur. Deinde perforato interstitio interosseo, quod quidem totum replent, ad internam antibrachii faciem perveniunt, magnumque, et aliis fasciculis muscularibus aucti, musculum constituunt. Cito in duos tendines divisus, sub ligamento proprio carpi ad palmam excurrit, ubi majore tendine iterum bipartito. tribus distinctis, iisque strenuis tendinibus, digitorum, vel unguium singulorum basi inseritur. Unusquisque tendo in metacarpo ligamento vaginali fortissimo includitur.

30.

31. *Musculus extensor digitorum communis brevis.* Longiore multo torosior. Oritur undique a toto dorso manus. In metacarpo in tres quasi cuspides divisus, singulos tendines ad digitorum basin mittit.

32. *Musculus abductor digiti tertii.* Parvus oritur ab externo carpi margine. Tendo ad eum extensoris brevis abit.

33. *Musculus abductor digiti primi.* Ortus ab interno carpi margine tendinem cum extensore brevi digiti primi confundit.

34. *Musculus abductori pollicis longo simillimus.* Oritur in externo antibrachio ab ulnae dimidio superiore, ab obliquum descendit, et per incisuram radii ad palmae protuberantiam eam, quam ex pollicis rudimento natam dixi, pervenit.

35. 36. Musculi adhuc duo in primi ordinis ossium metacarpiorum interstitiis interosseis inveniuntur, si a palma spectes, triangulares, quasi a carpo orientes, apice in secundi ordinis ossibus inserti. Certe interossei.

37. 38. Duo supersunt musculi in dorso antibrachii, analogiam non nisi aegre ferentes, alter *radialis,* alter *ulnaris.* Prior a toto radio oritur, alter infra abducentem pollicis, ab inferiore ulnae dimidio: in carpo decussati invi-

cem, ulnaris in secundi ordinis ossium metacarpiorum primo terminatur, radialis in ejusdem ordinis osse tertio finitur.

II. Extremitates posteriores.

§. 11.

Musculi femoris.

Ad movendum femur quatuordecim in homine musculi pertinent. Tredecim afferam verum tamen eos ab humana norma nonnihil discrepantes.

1. *Musculus psoas major.* Oritur carneus a quarti, quinti, sexti et septimi vertebrarum dorsi corporibus, et ab earundem processibus transversis. Tendo prope musculum iliacum internum intrinsecus decurrit et hujus multos fasciculos excipit. Inseritur trochanteri minori ossis femoris. Musculum quoque *psoam minorem,* cum in hoc animale nunquam deesse*) posse videatur, hic verbo tangam. Oritur a trium superiorum vertebrarum lumbalium corporibus, processibusque transversis, crassa carne at a *majore* intrinsecus decurrens, strenuo ten-

---

*) Constanter quoque in cane invenitur et aliis. Douglaſs §. 150.

dine ossi pubis inseritur. Ita in attrahenda pelvi, femur quoque levat.

2. *Musculus iliacus internus.* Oritur a totius ossis ilium facie interna, modoque supra descripto ad *psoam majorem* accedens, in eadem tuberositate (trochantere minore) et deorsum finitur.

3. *Musculus pectinaeus.* Oritur ab osse pubis, gravis musculus, atque in facie posteriore femoris usque ad poplitem insertione descendit.

4. *Musculus glutaeus maximus.* Paene membranaceus*) oritur ab ossis sacri margine labioque externo posterioris ossis ilium. Inseritur in eam totam lineam, quae a trochantere majore ad condylum femoris externum descendit. Ad istam vero aponeurosin fasciculi musculosi in toto decursu a posteriore accedunt, ita ut a trochantere usque ad genu semipennati speciem referat, ac inde etiam radios nonnullos ad fibulae capitulum demittat.

5. 6. 7. *Musculi glutaeus medius, glutaeus minimus et piriformis* unum intra hunc, multoque graviorem musculum constituunt. Quos

---

*) Musculorum nates ac suras efficientium torositatem, antiquissimi jam scriptores, hominum prae bestiis praerogativam judicarunt. Blumenbach l. c. pag. 46.

mihi, etiamsi origine dignosci adhuc poterant, ultra tamen cultro distinguere, nullo modo contigit. Cavitas omnis ossis ilium externa glutaeorum carne repletur, cui deinde ea admiscetur, quae ab anteriore ossis sacri facie orta, per incisuram ischiadicam e pelvi egreditur, quamque ad piriformem facile retuli. Ita in circuli quadrante orti fasciculi in rectum angulum ad apicem trochanteris conveniunt.

8. *Musculi adductores. Primus* distincta larga origine a pectine orditur, gracilescens tenui tendine in condylum humeri internum inseritur. *Secundus* infra primum carne largiore etiam ortus, ad femoris faciem posticam tendit. — Remotis plurimis, quos adhuc attulimus, musculis, tres reliqui rotatores in conspectum veniunt. Primus:

9. *Musculus quadratus femŏris.* Lata origine a processu ischiadico tracta, brevioribus fasciculis in trochanteris majoris apice, ac sensim longioribus in lata facie posteriore femoris finitur. Remoto et ipso, duos praeterea musculos conspicimus:

10. *Musculum obturatorium* (*externum* nempe, interni ne vestigium inveniri potuit). Ortus a pectine et membrana capsulari intrinsecus, caput femoris circumvolvens, ad trochanterem tendit. Et

11. *Musculum geminorum loco positum.* Originem habet longam a symphysi ossium pubis inde usque ad mediam tuberositatem ischii. Inseritur tendine in trochanteris majoris apicem.

12. Huc pertinet *proprius quidam bradypodis musculus femur versus posteriora movens.* Oritur a tuberositate ossis ischii mediocris molis. Decurrit ossi proximus inter bicipitis caput brevius et abductorem secundum. Denique in duos tendines distribuitur, quorum alter in externo, alter in interno femoris condylo terminatur.

13. *Musculus membranosus s. tensor fasciae latae.* Oritur a spina superiore anteriore cristae ossis ilium ac ita decurrit, ut aponeuroticus factus, cum panniculo carnoso imminuatur sensim donec oculos fugiat.

§. 12.

Musculi tibiae.

Crus humanum decem nactum est musculos, Bradypodis nostri novem.

14. *Musculus sartorius,* minime, uti idem in homine, totius corporis longissimus, sed satis pro ratione brevis est. Oritur minuta portione a spina ilium, multo latiore ab eo tendine in quem musculi abdominales abiere, quemque ad ligamentum Fallopii referre licet.

Infigitur femoris tibiaeque condylis internis, ita ut femoris musculis quoque adnumerari potuisset.

15. *Musculus rectus cruris.* Plane humanus.

16. *Musculus cruraeus.* Qui ad rectum accedunt in homine musculi: vastus externus, internus et cruraeus, ad unum referantur necesse est, ut plurimum duabus dentationibus distinguendum, quarum altera externa, altera interna, utraque infra capitulum femoris et ab ejus facie anteriore oritur, inde in patellam abeunt.

10. *Musculus gracilis.* Oritur intrinsecus a musculo sartorio, ab eodem tendine musculorum abdominalium, et ab ossis pubis pectine, (non ab eorum symphysi); inde satis largo corpore in tendinem largiorem etiam abit, per duas tertiarias partes tibiae a malleolo interno sursum inserendum. Crus in tam arctum angulum flectit, ut ultra rectum angulum illud extendi, per musculos pone sitos, non patiatur.

18. *Musculus semitendinosus.* Oritur a tuberositate ossis ischii, medius inter glutaeum maximum et sequentem musculum. Tendine juxta gracilis musculi marginem superiorem inseritur.

19. *Musculus semimembranosus.* A tuberositate ischii ad tibiae condylum internum decurrit.

20. 21. *Musculus biceps.* Hoc nomine duo mihi distincti musculi complectendi videntur. Quorum qui capiti longo respondet, a tuberositate ossis ischii ortus, in medio fibulae margine finitur, intra glutaei maximi insertionem. Ac de hoc quidem dubium esse non potest. Magis de *capitis brevis* analogo haesito. Musculus cui alius nullus respondet, invenitur, ortum suum lata carne ac multis fasciculis inde a trochantere majore per duas tertiarias femoris partes deorsum, juxta glutaei maximi insertionem, ducens. Inseritur per mediam tertiariam partem fibulae, prope capitis longi finem. Longissimi vere fasciculi in tendinem gracilentum abeuntes, gastrocnemios amplectuntur, ac in malleolum internum inseruntur. Hanc portionem eo lubentius *plantari longo* comparare placet, cum ejus aliud analogon non sit, et ab eodem malleolo ligamentum quoddam ad plantae aponeurosin continuetur *).

*) Cum de plantari musculo sermo sit, aliud quoddam ejus exemplum liceat afferre de simia. Ibi enim illum musculum, solito loco ortum, suo privo tendine supra

22. *Musculus poplitaeus.* Ab externo femoris condylo et membrana capsulari genu ortus, carnosus et triangularis per superius dimidium tibiae inseritur.

§. 13.

Musculi tarsi.

Tarso in homine octo applicantur musculi. Plantarem jam praecepimus, huc pertinentem. Reliqui sunt sex alii.

23. *Musculus gastrocnemius.* Caput internum a condylo interno femoris, et denticulatione accessoria a musculi semimembranosi tendine oritur, externum a medii fere ossis femoris margine externo.

24. *Musculus solaeus.* A fibulae toto margine nascitur. Conjunctim cum priore musculo, tendine uno in calcaneum inseruntur.

25. *Musculus tibialis anticus.* Oritur a tibia extrinsecus, a capite ad malleolum. Inse-

---

calcaneum abeuntem, et aponeurosin plantarem tendentem, inveni. Ita quidem hujus musculi, latens in homine, patet usus. Eundem musculum eodem modo dispositum in Simia Callitriche descripsit: Lordat l. c. pag. 64.

ritur ad tarsi tuberositatem internam, quae quidem rudimento digiti hallucis efficitur, in radice metatarsi.

26. *Musculus tibialis posticus* oritur a tibiae facie tota posteriore. Postquam per fissuram ad internum malleolum transiit, inseritur tendineus in eadem, quam modo descripsimus, tuberositate.

27. 28. *Peronei musculi, primus ac secundus.* Fibulam totam origine sua occupant. Tendinosomusculose in tuberositatem tarsi inseruntur externam, internae oppositam, et rudimento digiti quinti vel minimi configuratam.

§. 14.

Musculi digitorum.

Musculorum ad digitos pedis pertinentium, rigenti quatuor in homine. Tertiaria pars in Bradypode sufficiebat.

29. *Musculus extensor longus digitorum.* Spatium quod inter peroneos et tibialem anticum vacuum in anteriore crure, musculo repletur, qui a tuberositate tibiae ortus, recta decurrit ad tarsum, ibique tendinem suum extensori digitorum brevi inscribit. Cujus insertionis caussa mihi ad extensorem longum referendus videbatur.

30. *Musculus extensor brevis digitorum.* Eidem in extremitate anteriore simillimus.

31. *Musculus abductor digiti minimi.* Descripsimus in extremitate anteriore, ad quem totus referatur.

32. *Musculus extensor pollicis longus.* Praegrandi carne a fibulae margine externo oritur et oblique super dorsum pedis descendens, eodem loco quo tibialis anticus, finitur, in rudimento digiti hallucis, cui quidem movendo inutilis, ad totum vero pedem introrsum volvendum, efficacissimus est.

33. *Musculus flexor digitornm communis longus.* Ortum supra in eodem extremitatis anterioris musculo cognoscas. Ubi interstitium interosseum perforavit, in sura cum grandi carne a femoris infima parte oriunda, confunditur. Ita crassissimum omnium hujus animalis musculum constituit. Tendo pone malleolum internum ad plantam descendit, ibique bipartitur: portio interna, tenuior, sola ad digiti primi procedit unguem, externa cum flexoris brevis tendine intime miscetur.

34. *Musculus flexor digitorum duorum brevis.* Oritur a tuberositatis calcanei, in conicam figuram protractae, tota circumferentia.

Duos fortes tendines efficit, qui ad medium tertiumque digitum abeunt.

35. 36. *Musculorum interosseorum* hic eadem ac supra conditio est.

§. 15.

Peracta jam longa illa musculorum descriptione, lecturis forsan taediosa, genaraliora pauca quaedam, sicut sese mihi in elaborando obtulerunt, addam. Ac primo quidem (ut de musculorum numero ordiar,) ejus, si ad humanum numerum referre velis, diversam rationem esse, prout in humero (vel femore) in antibrachio (vel crure), in manu vel pede positi sint, facile patet. In primo internodio (compendii gratia hoc vocabulo utar) ad humanam normam proximus est numerus, immo vero vel proprios cujusvis extremitatis musculos offendimus. Pauciores jam in altero internodio quadrupedi nostro pro ratione musculos esse, ex schematis, quae supra edidi, jamjam innotuit. Nusquam vero discrimen esse gravius, quam in manibus pedibusque, neminem latebit. Atque ita modo inverso fere musculorum numerus crescit in nostro quadrupede (secus atque in homine) sicut et in aliis infimorum mammalium generibus. In homine numerus musculorum primi inter-

Commodius loco de clavicula quaedam adhere-re. Haec tum in Bradypodis tridactyli [illegible] sceleto a celeberrimo Rudolphio commemo-rata in illo praeclarissimo scripto (... [illegible]) [illegible] Bradypodum [illegible] examinati, [illegible] deest, quo [illegible] species semper deesse colligas. Clavicula enim ad [illegible] accidentalia [illegible] occurrentia non pertinet, neque si bestiae, illi rudimentum [illegible] concedatur, illos [illegible] potuisset, quos in [illegible] Cuvier, vir [illegible], anatomiae comparatae (Leçons d'anatomie comparée T. I. p. [illegible] [illegible] [illegible]; Bradypodibus quidem [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Daubentonius Bradypodis [illegible] ([illegible] Vol. VIII P. I. p. [illegible] clavicu-[illegible] [illegible] neque in [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ullam [illegible] [illegible] (An-nales du Musée d'Histoire naturelle T. V. p. [illegible]) in Bradypodum [illegible], [illegible] [illegible] claviculam [illegible] [illegible], neque [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].